



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XLIV. Argumentum. Explicatur difficilis materia Pacti legis commissoriæ in mutuo. Reseruntur duodecim casus, in quibus altercantur DD, an dictum Pactum sit licitum? Deciditur alia Quæstio an ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Queritur, An Patres familiarum habeant eandem obligationem reddendi Deo rationem de animabus suarum domorum, quam habent Parochi de tota Parochia, & Episcopi de tota Diocesi: seu majorem, vel minorem?

1. Ferè omnes dixerunt, Patribus familiarum majorem incumbere obligationem, quam Episcopis, & Parochis ob sex sequentes rationes.
- Primò. Ob legem divinam naturalem, qua genitores tenentur filios benè educare & instruere. Marchant. in Candelabr. Myst. tractat. 8. lect. 10. 11. 12. 13. nam Prælati, & Curati ad eorum regimen spirituale solo jure divino positivo adstringuntur. Mercant. in Virga Aaron. tractat. 4. lect. 1. Quanta autem sit Vis, & efficacia legis naturæ à Deo genitoribus datæ, & in eorum præcordiis insitæ, rectè demonstrat S. Thom. contra Gent. lib. 3. cap. 122. ubi ait, duos esse partus naturæ, alios perfectos, ut aquam è fonte, ignem è petra, & his natis non assistit efficiens causa, quæ est mystica Mater, quia perfecti statim sunt, & educatione non egent: alios autem esse imperfectos, & his genitis assistentiam, nutritionem, & educationem eorum Genitores præbent, tum ex vegetabilibus, floribus, fructibus, arboribus, & uvis, tum ex brutis, quadrupedibus, & volatilibus; (struthione excepta; quæ ideo Derelinquit ova sua in terra; privavit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Job 39. 20.) ea ratione, quia imperfecti sunt, & debiles, & indigent genitorum auxilio; quod quidem assidue præstant, primum in nutritione, deinde in suæ inclinationis exercitio; videlicet accipitres ad prædam, delphini ad natandum, leonæ ad rapiendum, gallinæ ad rursandum, aquilæ ad volandum, juxta illud: Sicut Aquila provocat ad volandum pullos suos. Deuter. 32. 11. Quæ omnia si ex lege naturæ sunt à brutis erga filios suos, à quibus nullam sperant remunerationem; quanto magis ab hominibus ratione præditis fieri debent, quorum filii indigentiores sunt brutis ipsis, hæc enim nascuntur vestita, & armata, pueruli verò nudi, & inermes; & hi majoris perfectionis sunt capaces, imò maximæ, nempe beatitudinis æternæ, ad quem finem filii Christianorum nascuntur? Igitur hæc lex divina naturalis in parentibus insita, strictius eos obligat, quam Prælatos, & Parochos, ad reddendam Deo rationem de animabus filiorum, quod testatus est S. Joan. Chrysostom. lib. 3. contra Viruper. Vir. Monast. cum enim dixisset Apostolus Ephes. 6. 4. Patres educate filios vestros in disciplina, & in correptione Domini, ipse ore suo aureo subjunxit: Si enim nos ipsi quoque vigilare jubemur, tanquam pro animabus illorum rationem reddaturi: quanto magis ergo Pater, qui genuit? Hæc omnia, sed latius, & doctius disserit P. Paulus Segneri Soc. Jesu in Concionibus Quadrag. Conc. Vigesimaquinta.

Secundò. Quia ex quarto Præcepto Decalogi parentes obligati sunt ad educationem, & eruditionem filiorum; licet enim id expressum non sit, tanquam superfluum ob legem naturæ insitam, de qua supra, quod notat S. Antonin. 1. part. tit. 14. cap. 4. §. 5. post Alexand. Alen. 3. quest. 33. membr. 3. artic. 1. tamen dictum Præceptum Decalogi est ultrò, citroque obligatorium. Catechism. Rom. de quart. Præcept. Decalog. Sess. 21. Unde Ecclesiast. 7. 25. ait, Filii tibi sunt? erudi illos.

Terriò. Nam ita fecisse sanctos Viros testatur paginæ sacræ. Job vigilabat etiam super cogitationibus filiorum suorum. Surgebat diluculo ad offerenda sacrificia pro illis; dicebat enim, ne forte peccaverint filii mei, & maledixerint Deo in cordibus suis. Job. 1. 5. Elicana sollicitus fuit, ut sanctus evaderet ejus filius Samuel. Eandem sollicitudinem habuit Tobias de filio suo. Elizia de Susanna; S. Blanca Regina Francorum de Sancto Ludovico ejus filio. Alecta de S. Bernardo. S. Felicitas de septem ejus filiis martyrio coronatis; & de septem fratribus Machabæis eorumdem pia Mater; hi enim omnes, & infiniti propè alii, quorum genitores pii fuerunt in erudiendis, & educandis illis in timore Domini ab infantia, sancti extitere; quandoquidem Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, nec recedet ab ea. Prov. 12. 6.

Quartò. E contra genitores, à quibus neglecta est bona educatio gnatorum, afflictiones maximas in hac vita, & discrimen æternæ salutis experti sunt in morte. Agar fleuit in deserto ob Ismaelem immorigerum. Genes. 21. Jacob deploravit defforationem filii Dinæ Genes. 34. David passus est fugam, dum ejus filius Absalom illum persequeretur. 2. Reg. 15. juxta illud Filius remissus evadit præcept. Eccles. 30. 8. Nota est mors violenta Summi Sacerdotis Heli, de cuius salvatione dubitant SS. Patres. Cur ita? Eò quod (testatur Scriptura sacra) noverat indignè agere filios suos; & non corripuit eos. 1. Reg. 3. 13. Catechism. Rom. ubi prox. Sess. 22.

Quintò. Hinc negligentia Patrum familiarum in benè educandis subditis suis est peccatum majus idololatria, cum dicat Apostolus 1. Timoth. 5. Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infidelis deterior.

Sextò. Tandem majorem rationem reddituri sunt Deo Genitores, quam Præsules, & Parochi de peccatis filiorum, quia genitores faciliorem habent methodum ad eos bonos faciendos, tum ex facultate illos corripiendi verbis, & verberibus, dum malè se gerunt; S. Thom. 2. 2. quest. 65. art. 2. Sylvest. Verb. Percussio, & Reginaldus in Praxi lib. 20. num. 42. tum ex commoditate diù, noctuque, & ex majori superioritate, eò quia filii à genitoribus expectant, & accipiunt alimenta, vestimenta, præmia, & hæreditatem; quare inexcusabiles erunt, qui non satagerint in hoc munere; & neglexerint inferre ab ineunte ætate in filiis suis timorem Domini; nam Quod nova testā capit, inveterata sapit. cap. Ex studiis 3. cap. Cum in juventute, 15. ubi glossa in Verb. frequentiùs. De Præsumpt.

DECISIO XLIV.

ARGUMENTUM.

Explicatur difficilis materia Pacti legis commissoriae in mutuo. Referuntur duodecim casus, in quibus altercantur DD. an dictum Pactum sit licitum? Deciditur alia Quæstio an Mutuans licitè petat sibi dari fidejussorem?

SUMMARIUM.

1. Lex commissoria quid sit?
2. Pactum legis commissoriae quatuorplex sit?
3. An licitum in venditionibus?
4. An in mutuo datis pignoris?
5. Pactis legis commissoriae casus duodecim.

6. Pactum prædictum an positum ex interſallo ſit licitum?
7. Re non data, ſed exhibitæ tantum in mutuo an licite cadat in commiſſum?
8. Pignus in mutuo cadens in commiſſum, ſi ab initio firmatum ſit pretium, an licite?
9. Juramentum an juſtificent pactum legis commiſſoria?
10. Pignus datum fidejuſſori ob mutuum an cadat in commiſſum.
11. Arbitrio boni viri ſi ſit æſtimandum Pignus an licite in mutuo ſubjaceat legi commiſſoria?
12. Pignus æqualis valoris cum mutuo an cadat in commiſſum?
13. Pactum legis commiſſoria favore dotis an valeat?
14. Tranſactionis in cauſa an fieri poſſit prædictum Pactum?
15. Fructibus pignoris reſervatis mutuuario an pignus in commiſſum dari poſſit?
16. Mutuuario ſpontè offerente Pignus, an ſub pacto legis commiſſoria recipi poſſit.
17. An dictum pactum valeat in pœnam negligentia mutuarii?
18. Pena adjecta quantitati non eſt licita.
19. Fidejuſſor an recipi poſſit in mutuo?
20. Opinio affirmativa. Negativa num. 21. Diſtingue ut num. 22.

Satis obſcurè tractant DD. de Pacto legis commiſſoria, idèd quaſitum fuit, An in mutuo licitum ſit Pactum legis Commiſſoria?

EX plusquam quingentis reſponſis ad hoc Quaſitum declarandum datis tria collegi.

1. Quid ſit lex commiſſoria?
2. Quoruplex?
3. In quot, & quibus caſibus ſit, vel non ſit licita?

1 Quo ad Primum. Studioſiores noſtri Cleri notarunt, legem Commiſſoriam non eſſe aliquam legem Digefſtorum, vel Codicis: ſed eſſe Conventionem, quam contrahentes tanquàm legem peculiarem ſibi ſtatuunt, ut ſi debitor in termino ſtatuto promiſſam pecuniam non ſolverit, res data ſtatim fiat creditoris: & dicitur Commiſſoria, eò quòd debitor, qui non præſtat fidem, cadat in commiſſum, hoc eſt, amittat jus ſuæ rei propter culpam commiſſam in adimplendo contractu. Rebell. de obligat. Juſt. lib. 8. quaſt. 10. num. 1. Molina diſp. 324. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 6. §. 2. Cardin. de Lugo diſp. 25. num. 76. & Cardin. Mantica de Tacit. lib. 11. tit. 9. num. 1.

2 Quò ad Secundum. Pactum legis commiſſoriae eſt duplex: Unum, quod apponitur in venditionibus pretio non ſoluto, dum venditor pacificatur, ut tempore pretium non ſolvente intra conſtitutum terminum, res ſit inepta, ita ut venditor poſſit rem ipſam repetere. l. 3. ff. de Contrahen. empt. l. 1. & 2. ff. de Lege Commiſſor. Alterum, quòd ſit in pignoribus, quando aliquis accipit pignus pro mutuo, aut quocunque alio debito, ea lege, & conditione, quòd ſi debitor intra certum tempus non ſolverit debitum, ſtatim pignus efficiatur creditoris, & ſic debito incidat in commiſſum, & amittat ſuum pignus. Molina d. diſp. 324. Card. de Lugo d. diſp. 25. num. 176. & Card. Mantica de Tacit. & ambig. conventionibus. l. 11. tit. 9.

num. 2. 3. & 6. Neguſan. de Pignor. part. 4. in princip. Roderic. de annuis redit. lib. 2. quaſt. 2. num. 24. & Leotard. de Uſur. quaſt. 69. num. 2. & 3. Porro pactum legis commiſſoriae in venditionibus eſt licitum dict. libr. 2. & 3. & ff. de Lege Commiſſoria; ea ratione; quia nulla fraus præſumitur intervenire; ſi, emptore pretium non ſolvente, reſcindatur venditio, & res ad ſuum dominum revertatur. Surdus decif. 248. numer. 2. Tiraquell. de Retract. convent. ad finem. tituli numer. 124. Cardinal. Mantica dict. tituli. 11. num. 3. & Leotard. dict. quaſt. 69. numer. 34. Niſi fortè pars pretii eſſet ſoluta, & vellet venditor eandem lucrari, quia tunc illicitum foret. l. Amilius. 39. ff. de Minoribus. excepto ſi nomine arrhæ data eſſet, vel ratione fructuum ab emptore perceptorum. l. Si fundus 4. §. 1. & lib. 6. in princip. ff. de Leg. Commiſſor. Leotard. d. quaſt. 69. num. 36. At in mutuo datis pignoribus tale pactum legis commiſſoriae eſt omnino prohibitum, tam ex jure Caſareo. leg. 1. & l. ultima. C. de Pactis Pignor. quàm ex jure Canonico cap. Significante. De Pignorib. eò quia continet ingentes fraudes, injuſtitiam, ac Uſurariam pravitatem; etenim ob parvum debitum retineri ſolet pignus magni valoris; & ſi vendatur; minoris, quàm valeat, venit, & ob dilationem mutui lucrum à mutuante recipitur; ac ipſe mutuarius gravatur; dum cogitur vendere, vel amittere ſuum pignus, interdico ſibi jure illud luendi, & recuperandi; ut latè docent, & explicant DD. ſupracitati, quibus adſtipulantur Rebell. libr. 8. quaſt. 4. & quaſt. 10. numer. 3. Salas de Uſuris dub. 32. num. 1. Covaruv. lib. 3. Variar. reſol. cap. 2. num. 3. Molina dict. diſput. 324. num. 2. & 3. & Leotard dict. quaſt. 69. & 70. per totam.

Quo ad Tertium. Cæterum quia digladiantur jurisperiti, Canoniſtæ, & Theologi in docendo, quando pactum legis commiſſoriae poſſit eſſe licitum, pro reſolutione noſtri quaſiti non me piguit colligere duodecim caſus ſequentes, & circa eoſdem notare opiniones Doctorum.

6 Primus caſus eſt, quando pactum legis commiſſoriae in pignore ob mutuum non apponitur ab initio, ſed ex interſallo. l. Titius & ibi Barthol. Bald. & Salyc. ff. de Pignor. act. l. Quamvis, ubi pariter Bart. ff. de ſolut. Guid. Pap. quaſt. 6. num. 1. Neguſan. de Pignor. part. 2. numer. 2. Cepol. cautel. 244. Card. Tuſchus tom. 6. litt. P. conſcluſ. 15. num. 10. & alii, quos allegat Cardin. Mantica de Tacit. d. lib. 11. tit. 10. num. 2. tenentes eſſe licitum, ea ratione quia, cum jam mutuarius habuerit pecuniam, præſumitur ſpontè conſentire in pactum, & non urgeri ad illud violentia, & aſperitate mutuantis. Sed contrarium docent Tiraquell. de retract. Convent. in fin. tituli. num. 136. Covaruv. Variar. lib. 2. cap. 2. numer. 8. Verſ. Tertio hinc etiam Joan Baptiſt. Lupus de Uſuris, & commerc. illicitis Commentar. 2. numer. 18. Menoch. de adipiſcen. poſſeſ. remed. 5. num. 42. & alii, quos cumulat; & ſequitur Leotardus de Uſuris dict. quaſt. 70. num. 3. ubi demonſtrat, vigere etiam ex intervallo eandem rationem fraudis, & aſperitatis, & offendit d. l. Titium, & d. l. Quamvis, minime eſſe loquutas de pacto legis commiſſoriae, ſed de pura; & præſenti datione in ſolutum, vel venditione certo pretio, quòd licitum eſt, & licuit ſemper etiam ejus rei, quæ pigno-

pignori data est. *l. Rescriptum 12. ff. de Distract. pignor. l. 1. & l. Cum dominam. 13. c. de Pignor. & l. In numerationibus. 44. de solut.*

7 Secundus casus est, quando pactum legis commissoriae ponitur super re non data in pignus, sed tantummodo exhibita creditori, dum mutuum statuto termino non redditur; hoc enim casu eandem cadere in commissum, & pactum valere dixerunt Angel. in *Verb. Pactum n. 23.* Guid. Papa singul. 477. Honded. *conf. 31. num. 34. & 37. lib. 1. & alii allegati à Card. Mantica dict. lib. 11. tit. 10. num. 11. 12. & 13.* moti, quod in hoc casu cesset ratio prohibitionis, & locum non habeat, cum simus extra terminos dicti cap. *Significante 7. De Pignoribus, & l. ultima c. de Pact. Pignor.* Sed hanc opinionem falsam esse arbitrantur Covaruvias *d. lib. 3. cap. 2. num. 7. Vers. ex quibus tria deducuntur.* Joan. Lupus *de Usur. dict. Comment. 2. num. 20.* Graff. *decis. aur. part. 1. lib. 2. capitul. 109. numer. 25.* Cardin. Tuschus *dict. lit. P. Concl. 15. num. 16. & Leotard. d. quast. 70. num. 8.* alios allegans, qui sistent, eandem rationem in hoc casu vigere, quia licet non sit formale pactum legis commissoriae; est tamen simile, & continet idem periculum iniquitatis, captionis, & voracitatis in damnum mutuatarii.

8 Tertius casus est, quando pactum legis commissoriae in mutuo sit dando pignus; ita ut si ad statutum tempus pecunia non reddatur, sit creditoris, sed certo, & determinato pretio: & cum hac specificatione pactum hoc valere scripserunt Card. Parisius *consil. 81. num. 28. lib. 2.* Cravet. *consil. 327. num. 4.* Menoch. *consil. 1111. num. 23. & Honded. dict. consil. 31. num. 32. lib. 1.* & videtur licitum ob pretii certitudinem, ex qua cessat causa prohibitionis. Ti-raquell. *de retract. convent. in fin. tit. num. 136.* Card. Mantica *dict. lib. 11. tit. 10. num. 19.* Sed contrarium verius esse affirmant Bart. in *dict. leg. Quamvis 45. ff. de solut.* Villagut. *de Usuris quast. 21. num. 10. & alii, quos citat Leotard. d. quast. 70. num. 17. & 18.* dicens, ad huc inesse gravamen mutuatarii, qui adstringitur amittere suum pignus, nisi in tempore statuto reddiderit mutuum, & hoc resultat in fraudem prohibitionis legis commissoriae, & in favorem avaritiae, & usurariae pravitatis mutantium, qui hisce laqueis, & decipulis miseros debitores capiunt, & decipiunt.

9 Quartus casus est, in quo valere potest pactum legis commissoriae in mutuo, si juramento firmetur, & hoc respectu religionis, quæ vult juramentum servari, ubi id fieri potest sine dispendio æternæ salutis, prout testatur Seraphin. *de Privil. Juram. cap. 131. num. 3.* Fachin. *controvers. lib. 10. cap. 13.* Honded. *dict. consil. 31. numer. 56. & 57. & Menoch. consil. 179. numer. 6.* Porro Juramentum hoc non esse observandum (prævia tamen absolutione, & remissione ab Ordinario petenda) cum sit annexum pacto improbo, usurario, & à legibus prohibito, docent Covaruv. in *capit. Quamvis part. 2. §. 3. numer. 3.* Card. Mantica alios congerens *dict. lib. 11. tit. 9. num. 13.* Graff. *dict. lib. 2. cap. 109. num. 25. Vers. Quartum.* Gait *de Credit. cap. 4. quast. 9. numer. 1112. & 1144.* Leotard. *dict. quast. 70. numer. 27. & 28.* qui auctoritatem adducit textus in *d. cap. Significante 7. De Pignor.* ubi reprobat hoc pactum, & sub-

ditur *Pactum tali, vel juramento minime obstante;* ac etiam rationem, quia quando contractus prohibetur in odium creditoris, juramento non confirmatur, & eò minus, quando est iniquum, fœneratitium. & cum fraude conjunctum.

Quintus casus est, in quo censetur validum pactum legis commissoriae, si pignus datum sit fidejussori cum pacto, ut in ejus commissum cadat, si mutuarius non solverit debito tempore mutuum, pro quo fidejussor se obligavit; cessat enim periculum asperitatis, & usurariae pravitatis Mutuataris. Salas *de Usur. dub. 32. numer. 3. & Molina dict. disput. 324. numer. 6.* Rebell. *dict. lib. 8. quast. 10. num. 6. & Card. de Lugo dict. disp. 25. num. 179.* qui tamen monent tutius esse ab hoc pacto abstinere. Sed contrarium omnino tenent Graff. *dict. lib. 2. c. 109. num. 25. Vers. Tertium &c.* subdens ibi, quod hoc pacto etiam fidejussorem, & creditoris pactioes exercent, Covaruvias *dict. lib. 3. Var. resolut. capit. 2. numer. 7. & 8.* Felician *de Censib. lib. 1. cap. 10. numer. 14.* eò quia eadem ratio viget inter fidejussorem, & creditorem principalem; quod latè comprobatur Leotardus *dict. quast. 70. à num. 41. & seqq.*

Sextus casus faciens validum pactum legis commissoriae est, si dictum sit; quod Pignus, mutuatario promptè non solvente, & in commissum cadat, justo tamen pretio tunc estimandum arbitrio boni viri; siquidem in hoc casu nullum lucrum potest habere creditor, & sic ratio prohibitionis cessare visa est tùm Jurisperitis, quos cumulat Cardin. Mantica *dict. lib. 11. tit. 10. numer. 19. & 20.* tùm Theologis Molina *dict. disput. 324. num. 4.* Rebell. *dict. lib. 8. quast. 10. num. 4.* Reginald. *de lib. 25. numer. 597.* Salas *d. dub. 32. num. 1. & Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 178.* Cæterum non consentit Felician. *dict. cap. 10. numer. 12.* neque Leotardus cum aliis per eum citatis *dict. quast. 70. num. 51. & 52.* quia Usura est obligare mutuatarium ad contractum ineundum, & eum adigere, ut creditori, & non cui maluerit, rem suam vendat; quòd si creditor ali-quod lucrum non expectaret, contentus esset remedio consueto *l. 4. c. de Pignor. d. nempè* ut, si debito tempore mutuum sibi non restituatur, pignus vendatur sub hasta quanti plurimi, & quod super est, detractò suo credito, cedat ad favorem debitoris, qui interim luere, & recuperare suum pignus potest.

Septimus casus est, in quo reputatur validum pactum legis commissoriae in mutuo, si pignus sit ejusdem valoris cum ipso mutuo, tunc enim nihil perdere posse videtur debitor. Honded. *dict. consil. 31. num. 43.* Covaruvias *dict. lib. 3. cap. 2. in fine.* Rebell. *dict. lib. 8. qu. 10. num. 4. Vers. sed quid?* Card. de Lugo *dict. disput. 25. num. 177.* Sed neque huic casui se accomodant plurimi DD. inter quos Surdus *decis. 248. num. 20.* Scaccia *de Commercio. §. 1. quast. 7. ampl. 10. num. 89.* Felician. *de Censib. lib. 1. cap. 10. num. 12. & Leotardus dict. quast. 70. num. 57. & 58.* ducti ea fortissima ratione, quod creditor ex mutuo hic lucrum consequitur, lucrum enim est adigere alium, ut rem suam vendat etiam justo pretio. *l. Eri aquo. De leg. 1. & sanè si illicita, & usuraria pactio est addita mutuo, & mutuatarium rem mutu-*
antis

antis emere teneatur etiam iusto pretio. Ugolin. de Usuris cap. 30. §. 1. num. 4. Salas de Usuris, dub. 9. num. 2. per consequens Usura est, adigere debitorem, ut rem suam vendat, quam alias venditurus non erat.

Octavus casus canonizans pactum legis commissoriae dicitur, si ponatur favore dotis ex pluribus rationibus, quas coacervant Doctores apud Leotardum dict. quest. 70. num. 64. & 65. quibus, ajunt, magnam differentiam resultare inter hunc casum dotis, & casum mutui; quod notat etiam Cardinal. Mantica dict. lib. 11. tit. 10. in fine. Verum enim vero contradicit Cardinal. Tuschus d. Litt. P. concl. 15. num. 18. Leotardus ipse ibid. num. 66. & DD. quos nominat, & precipue Negusant. de Pignor. part. 4. num. 8. Surdus dict. decis. 248. num. 13. Alexandr. consil. 178. num. 9. lib. 7. & Curt. quem citat Cardinal. Mantica d. tit. 10. num. 30. & moventur, quia pro nulla causa, quamvis pia, usura permitti debet. capit. Super eo, De Usur.

Nonus Casus est patrocians Pacto legis Commissoriae, & illud validum dicens, si positum sit in Transactione, cujus maximus est favor, cum per eam a lite discedatur, a qua non esset alioquin discessurus, qui sic pactus est. Ita Fulgos. consilium 198. Jason. in leg. Sub pretextu 29. in fine. C. de Transact. Cravetta cons. 145. num. 19. Cardinal. Tuschus tom. 6. Conclus. 15. num. 35. & Antonio Faber tit. de Pactis Pignor. defin. 3. Ceterum impugnatur, & hic casus ab aliis magni nominis Doctoribus eo stabili fundamento, quod lex Commissoria prohibita censetur non solum in mutuo, sed in omnibus contractibus, & adversus quoscunque creditores, cum semper trahat secum captionem, asperitatem creditoris, & usurariam pravitatem, ob lucrum, quod ex dilatione temporis sperat creditor ipse habere ultra creditum ex retentione pignoris, ut plenius docet Cardinal. Mantica dict. lib. 11. tit. 9. num. 11. Negusant. de Pignorib. p. 4. num. 2. & alii apud Leotard. d. quest. 70. num. 77. & 78.

Decimus casus est, in quo legitimari dicunt DD. pactum legis commissoriae si conventum fuerit, ut fructus pignoris, durante mutuo, sint ipsius mutuatarii, tunc enim cessare videtur omnis fraus usurarum. Abbas, & San. Antonin. apud Navarrum in Enchirid. cap. 17. num. 217. At resistit huic Navarrez assertioni Leotard. d. quest. 70. num. 90. siquidem etiam in hoc casu Mutuarius rei suae dominium amittere cogitur, in quo tota legis commissoriae asperitas, & malicia posita est; & idcirco semper est illicita, cum res suo domino aufertur pro pecunia credita, & ad id adigatur involuntarie, & cum periculo lationis in pretio.

Undecimus Casus est, si pactum legis commissoriae initum sit non ad instantiam mutuantis, sed ad preces, & requisitionem mutuatarii, tunc enim esse licitum ait Bald. in cap. 1. num. 7. De Feud. dat. in vim. leg. Comiss. quem allegat Cardinal. Mantica dict. lib. 11. tit. 9. num. 7. ubi tamen eum reprobatur, quia debitor necessitate coactus facile dicturus est, factum suis precibus, & sui contemplatione contractum fuisse; et si provenerit ab ingluvie, & avaritia creditoris, ut considerat ibidem Cardinal. Mantica, Afflict. in d. cap. 1. num. 7. & Leotard. d. q. 70. a num. 80. & seqq.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Duodecimus, & ultimus Casus canonizans pactum legis Commissoriae est, si factum sit non in fraudem Usurarum, sed in poenam mutuatarii negligentis restituere pecuniam debitam. Navar. d. cap. 17. num. 217. Sylvest. Verb. Usura 3. num. 1. Salas de Usur. d. dub. 32. num. 2. Molina d. disp. 324. num. 5. Reginald. d. lib. 25. num. 597. Rebell. dict. lib. 8. quest. 10. num. 5. & Cardinal. Mantica d. lib. 11. tit. 10. num. 34. A quibus tamen omnibus recedunt Felician. de Consil. d. lib. 1. cap. 10. num. 11. Surdus decis. 25. num. 1. & Leotard. d. quest. 70. num. 91. & regula generali supra firmata, quod poena adjecta quantitati non est licita, & continet semper suspicionem Usuræ. l. Julianus 14. §. Ibidem Papi- nianus. ff. de Ad. empr. Cardinal. Tuschus tom. 6. litt. P. conclus. 247. & precipue in pignori- bus, in quibus per expressum est prohibita. l. ultim. C. de Pactis Pignor. & ita tenendum esse, & contra legem Commissoriam in omnibus supradictis casibus pronunciari oportere a Confessariis, & animarum Rectoribus Curia Episcopalis sentit, ac eo magis in mutuo, ut docet etiam Leotardus de Usur. quest. 38. num. 6. & quest. 70. num. 93. & 94. Nicol. Lucubrat. Civil. lib. 3. tit. 15. num. 12. Ampliat. 2. & ex his resolutum, ac declaratum remanet primum Quæsitum.

Aliud quæsitum frequenter practicum est,

An in Mutuo licitum sit accipere Fidejussorem.

PRO responsione alii affirmarunt. Quia cui- 19 libet licet, se indemnem servare, & ubi timet periculum amissionis propriæ pecuniæ, petere cautionem, vel in pignore, vel in iuramento, vel in fidejussore. Aragon, & Medin. apud Salas de Usuris dub. 11. propè finem. Sed mutuator exigendo fidejussorem a mutuuario petit cautionem ad se indemnem servandum. Ergo. Item non est Usura, ubi lucrum non ac- 20 quiritur supra sortem. Sed per fidejussoris acceptionem nullum lucrum supra sortem acquiritur. Ergo licitum est, fidejussorem accipere; & ita communiter docent Theologi. Salas d. dub. 11. Reginald. lib. 25. num. 217. Bonacina dict. tom. 2. de contract. disp. 3. quest. 3. punct. 5. num. 2. Ugolin. de Usur. cap. 9. §. 1. num. 2. Sylvest. Verb. Fidejussor. num. 14. Andr. Mendo Verb. Usura. num. 3. Tamburin. de Triplici Jur. lib. 9. tract. 1. cap. 3. §. 6. num. 6. & cap. 6. num. 1. & §. 2. num. 4. & §. 3. num. 1. & Cardinal. de Lugo dict. disp. 25. num. 63.

Alii negarunt. Quia ubi mutuuario, causa 21 mutui, imponitur gravamen, ibi est Usura. Sa Verb. Mutuum num. 3. Petr. Navar. de restit. lib. 3. cap. 2. dub. 6. Angel. Verb. Usura quest. 5. Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 55. Sed hic imponitur gravamen mutuuario. Ergo.

Alii distinxerunt. Vel fidejussio est necessa- 22 ria? & tunc est licita. Vel non est necessaria; & in hoc casu censetur injusta, & per consequens usuraria, & illicita. Salon, & alii apud Salas d. dub. 11. in fine, & Cardin. de Lugo d. disp. 25. num. 63. ubi nihilominus subdit de tali distinctione parum curandum esse, quia mutuator potest non mutuare, nisi ei fidejussor detur pro affecurando suo credito. At benè distinguendum putat, an Mutuarius aliquid sit soluturus, fidejussori? tunc enim si fidejussio superflua sit, committitur injustitia, ex qua resultat crimen Usurarium ob indebitum gravamen im-

K

po-

positum mutuatorio; secus autem si nihil solvat mutuarius pro fideiussione, & sic cum Lugo videtur tenendum.

D E C I S I O XLV.

A R G U M E N T U M

An sit Usura solvere medietatem debiti anticipatè; ut alia medietas non exigatur, nisi post tempus debitum? Item an liceat uti equo in pignus tradito?

S U M M A R I U M.

1. Solutionis pactum differre, ut alia pars ante tempus solvatur, an sit Usura?
2. Obligatio civilis ubi intervenit in mutuo, ibi est Usura.
3. Injustitia, aut gravamine cessante in mutuo, cessat Usura.
4. Mutui contractus converti potest in alium immunitatum.
5. Condicio ut medietas debiti solvatur anticipatè, & alia medietas participatè? an licita?
6. Pignus, aut hypotheca est licitum pro cautione creditoris.
7. Pignus unde dictum?
8. Fructus pignoris sunt in sortem computandi.
9. Expensa ex fructibus pignoris sunt a creditore retinenda.
10. Expensarum genera tria. Et qua sint deducenda?
11. Equus datus pro pignore cuius expensis sit alendus?
12. Venditio rei cum pacto recuperandi est melius, quam ea dare pro pignore.

1 **T**ransactum cum fuerit biennium, tu mihi debebis solvere trecentos Ducatos. Ego pecunia; ideo hoc primo anno peto statim à te medietatem dicta summa, cum pacto non exigendi aliam medietatem, nisi tertio anno. Queritur, An hoc pacto sit Usuraria?

2 **E**ssè Usurariam dixerunt plurimi. Quia, ibi est Usura, ubi assumitur civilis obligatio. Azor. 3. p. lib. 5. cap. 7. Vers. Quares. Sà Verb. Mutuum num. 3. Salas de Usur. dub. 10. num. 3. Vel ubi mutuatorio imponitur onus. Bonacina d. disput. 3. quest. 3. p. 3. num. 9. Sed in hoc casu uterque contrahens assumit civilem obligationem causa mutui: ego quidem expectandi medietatem post tertium annum; tu, solvendi medietatem hoc primo anno, & imponitur onus, quod potest esse gravius mihi, quam tibi. Ergo est Usura; prout Usuram esse docuerunt Petr. Navarra. lib. 3. de restit. cap. 2. num. 240. Rebell. lib. 8. qu. 4. num. 10. Molin. disp. 308. num. 4. Sotus de Just. lib. 6. quest. 1. art. 2. ad primum.

3 **N**on esse Usurariam pactionem, de qua in Casu, alii affirmarunt; siquidem ubi non est injustitia, neque gravamen inter contrahentes, ibi non est Usura; hæc enim essentialiter requirit, ut proximus injustè gravetur. Cardinal. de Lugo d. disp. 25. num. 55. Sed in Casu proposito nulla est injustitia, neque gravamen, quia si tu sentis incommodum in solutione medietatis debiti anticipatè; ego idem incommodum suscipio expectando alterius medietatis solutionem posticipatè. Igitur nulla labes hic est Usuræ. Ita sentit Molina d. disput. 308. num. 6. Vers. Hinc colligo. Tamburin. de Triplici Jur. d. lib. 9. tract. 1. cap. 4. §. 7. num. 3. Salas de Usur. d. dub. 9. num. 10. Vers. Sed quid. Lessius lib. 2. cap. 20. num. 59. Trullench. in Decal. lib. 7. cap. 19. dub. 6. num. 8. Leotard. de Usur. quest. 16. num. 37. & Caramuel in Theolog.

Moral. lib. 2. disp. 14. num. 748. cujus verba transcribit Diana part. 9. tract. 6. resol. 24. Quæ in Coordinato est tom. 7. tract. 3. resol. 61.

Prima sententia est tutior, secunda probabilis; quam nihilominus tutissimam reddi posse, ait Caramuel ibidem, si mutuator, & mutuarius dissolvant priorem contractum mutui, & novum ineant, qui innominatus erit *Do, ut Des.* id est do tibi nunc ante annum medietatem debiti, ut non petas aliam medietatem, nisi post triennium, vel hoc remedio relicto (quod videtur merè speculativum) si ille, qui rogatur anticipatè solvere medietatem, non petat dilationem pro altera medietate tanquam pretium, sed solum tanquam conditionem, sine qua non vult virtualiter mutuare, ut docet Card. de Lugo d. disp. 25. num. 57. & notat Pasqualig. decis. 184. num. 22. & placet Dianæ part. 1. tract. 8. resol. 63. Quæ in Coordinato est tom. 6. tract. 3. resol. 108.

Sed quid respondebit Confessarius ad sequentem Casum?

Mutuavi tibi centum, & pro cautione equum tuum accepi, quo utor juxta meas indigentias. Queritur, An licitè?

Pro resolutione hujus Casus datæ sunt sequentes conclusiones.

Prima est. Pro cautione creditoris dari potest vel pignus, vel hypotheca. Scaccia de Commer. §. 1. quest. 7. part. 2. ampl. 12. & ibi S. Anton. & Conrad. Hypotheca propriè consistit in re immobili, pignus verò in re mobili. §. Inter pignus. Instit. de Action. & Oblig. l. Plebs. §. Pignus. ff. de verb. Signif. ideo pignus dicitur à pugno, quasi manu apprehendatur, ut notat Angel. verb. Pignus, in princip. & Nicol. in Lucubr. Civil. d. lib. 3. tit. 15. n. 48. Actio ex pignore non nascitur, nisi res fuerit creditori tradita; at ex hypotheca nasci potest ex solo consensu, l. Pignoris 18. C. de Pignor.

Secunda conclusio est. Res, quæ pignori datur, vel est sterilis, ut annulus aureus, catinus argenteus: vel est fructifera; si fructus pariat, creditor tenetur eos in sortem computare, aut debitori reddere, cap. 1. & 2. & cap. Conquestus. De Usur. cap. Cum contra, cap. Significante. De Pignoribus, cap. Ad nostram, 1. De Jurejur. l. 1. & 2. C. de Pignorat. act. & l. 1. C. de Distract. pignor. Ratio est manifesta, quia debitor est dominus pignoris, unde si fortuito pereat, illis peribit, l. Incertum. C. Si certum petatur; res autem debet suo dominio fructificare; & pignus non datur creditori in utilitatem, sed in securitatem. §. Furri. Instit. de oblig. qua ex delict. nascuntur, idcirco si creditor fructus pignoris pro se retineret, usuram committeret, quia usura est exigere aliquid ultra sortem ratione mutui, vel formalis, vel virtualis. S. Thom. 2. 2. quest. 78. art. 2. ad 6. Molina disp. 320. Cardin. Tolet. l. 5. cap. 30. & alii plurimi, quos allegat Salas de Usur. dub. 28. num. 2.

Tertia conclusio. Licitum tamen est creditori retinere, & deducere ex fructibus pignoris expensas, tum pro collectione fructuum, tum pro exhibitione suorum laborum in custodiendo pignore, quia creditor non tenetur debitori deservire, neque pro eo laborare. Salas de Usur. d. dub. 28. num. 3. ubi ait, non obstante cap. 1. & 2. de Usur. & cap. Ad nostram, 1. de Jurejur. in quibus dicitur, deducendas esse expensas; & nihil dicitur de laboribus, nam appellatione expensarum etiam labores com-